

Ann. V.

Num. XIV.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italianam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA
Apud GEBETHNER ET WOLF

VARSAVIAE POLONORUM
Rakowskie Przedmiescie, 15

IN ANGLIA
Apud BURNS AND OATES

LONDON W.
28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS
AMERICAE SEPTEMTR.

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sedis. Apost. et S. Rituum Congr. Typogr.

NEW YORK
52, Barclay Street.

CINCINNATI
436, Main Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sedis. Apost. et S. Rituum Congr.
Typogr.

RATISBONAE in BAVARIA

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

DE CULTU AC PRONUNCIATIONE LATINI SERMONIS	H. D. V. Pieralice.
DE LITTERIS ATQUE ARTIBUS CHRISTIANO MORE EXERCENDIS	I. Antonelli.
LUX IN TENEBRIS	A. M. Cerasoli.
DE MULIERUM ERUDITIONE APUD ROMANOS	G. P.
HYACINTHUS VERDAGUER	Forfex.
CAPRULANA INSULA	M. Belli.
DE « SYMBOLISMO »	Senior.
FABULAE SELECTAE FONTANI A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE	Fr. Xav. Reuss.
DE INFANTIBUS ET PUEBLIS APUD INDOS AMERICAE	P. Alexis.
ANNALES	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
LIBRORUM RECENSIO	P. Angelini.
AENIGMATA	E. R. Massey.

In secunda operculi pagina:

PROSPECTUS NOVAE SUBNOTATIONIS COMM. VOX URBIS A KAL. IULII
AD EXPLETUM ANNUM MCMII.

In tertia operculi pagina:

VARIA: Ephemerides, Diurna optima animo et corpori. - Hocne nunc
inter cultus, caeremonias, et ritus? - Pipionibus nuncis quid
obsit. - Enorme ovum, et nova avis. - Ioci P. d. V.

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

M CMII

AD MAGIS MAGISQUE
"VOX URBIS,, COMMENTARII PROPAGATIONEM AUGENDAM
NOVA INDICTA EST SUBNOTATIO

A KALENDIS IULII USQUE AD EXPLETUM ANNUM MCMII
(NUM. XIII-XXIV).

UT ACCEDERE OMNES POSSINT

SUBNOTATIONIS PRETIUM CONSTITUTUM EST:

Libel. **2,50**; Mar. **2**; Sch. **2**; Rubl. **1**; Cor. **2 $\frac{1}{2}$** .

Qui insolita, gratuita paene, huius consociationis ratione frui volunt, nulla interposita mora, *nomen suum cum pretio recto tramite mittant ad*

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARI "VOX URBIS,, POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM,
ROMAM, via Alessandrina 87.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italianam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

DE CULTU AC PRONUNCIATIONE LATINI SERMONIS

Amplissimo viro IACOBO TASSET, HYACINTHUS DE
VECCHI PIERALICE s. p. d.

IUCUNDA mihi et collegis omnibus meis ea fuere, quae de lingua latina legimus edita in Americana urbe Valleyfield, atque illi commentario *Revue Ecclesiastique* gratum ostendimus animum, prout sentiebamus (1), quinimo et sentimus; non enim quod semel optimum admisimus fideli pectore deponemus. Nunc autem iucundorem tuam vidimus epistolam in eadem, quae simul agitavimus olim, potentissime et amicissime coniurantem et conspirantem. Iucundiora quidem, o Tasset mi, iucundiora nunc, inquam; nam iucundissima ventura speramus, neque haec diu exspectanda, neque ulla umquam obiecte divertenda, quominus aecidant, arbitramur;

*Quum tu praesertim magni pars maxima belli
Tela feras, pariter gnarus componere pacem.*

Atqui stetere coram dieo, quae seripsisti in commentario, cui nomen *la Coopération des Idées*; et gratias tibi agimus maximas, fortasse et relaturi si, quae in illo Campivallensi commentario nunciantur, vera aliquando promantur, coetu scilicet undequaque coacto, ad principes cendendos canones, quibus, qua patet orbis, unum idemque omnium in ore et auribus sit sonus latini sermonis, neque idem hic aspere, illie hiulce, hinc vaste, illine pressius audiatur, nec ultra sit quod una eademque vocalis littera non modo sono fruatur suo, sed reliquarum quoque vocalium sonos usurpet, et in medium prodat.

Nos igitur, tuque haec bene noscis, qui nobiscum labores, auctoritatemque tuam contulisti hanc in metam, nos, qui primi commisimus pelago ratem, et primi latini sermonis excellentiam, deinde opportunitatem, aptitudinem ad negotia quaeque gerenda ediximus, ab iis interpretandis quae paelo commisisti sociisque nostris vulgandis minime temperari possumus:

In commentario, — scribis, — *la Coopération des Idées*, kalend. Maiis edito, elucubrationem erudit viri M. Secheresse (2) habui coram, qui latinum sermonem viventem vigentemque linguam existimat, et sententiam percepit, cui sunt ius fasque, de lingua universal, quam nunc *internationalem* appellare malunt, prolatam. Agor itaque ad animadversiones quasdam tibi mittendas, et nonnulla quibus facilius possis

(1) Cfr. n. XII.

(2) Cfr. *Vox Urbis* sup. num. XII.

in re hac dijudicare, quae bono excepturum animo te spero, cum ipse quinque ab hinc annis in eadem verser. Experientia teste, probatur saeculorum decursu universale eloquium non facile extingui, non interire. Qui Malumeto obsequuntur, illa praesertim utuntur lingua, in sacro illis *Corani* libro quae continetur; Indis in deliciis manibusque *Sanskritum* est; ultimae Orientis gentes morem gerunt *Kou-Wen*, scilicet illi stylo, qui gravissimis intra Sinenses, iisdemque veteribus auctoribus olim placuit. Age iam apud nos Europaeos latinus est sermo, qui universalis et perpetuus habeatur, mutationibus obnoxius nullis, non aurae popularis patens arbitrio, tum fideliori sermone singula semper enucleans, si cuiuslibet aetatis et gentis ambulatoris et errabundis quotidie placitis comparetur. — Quae commentaria latina ubique civitatum assurgunt, internationalia haec officium et gratia, qua suscepta sunt adventantia apud ephemerides plurimas, ne dicam omnes, quid indicant nisi quemdam undequaque redditum ad linguam latinam, quasi ad eam, quae et captu usque sit facilis, et vivax et utilis communis consensu habeatur? Opus esset, — uti probe notas, — periculosa plenum aleae homines cum hominibus omnino diversis genere, educatione, cultu, moribus congregare, nisi prius Minerva multiplici et prudentia praemonente de singulis caveretur. At nullum circa latinitatem discriminem, nullus timor, nullum inde periculum, nulla fraus, quum huius ministerio non rudes homines, non vulgares, non barbari, sed humanitate, cultu, doctrina, inde, ingenio, moribus viri spectatissimi congregentur, iisque usus eloquii huius illa suppeditet commoda, quibus et sua possint exteris communicare, et ab externis oblata percipere. Triennio in civitatibus Iaponis moratus, — prosequeris, — multum incumbens in comparandos auctores, qui habentur principes in Europa et apud Sinenses, possum, id credo, cognita re et rei causis, decernere, quod caput arbitror quaestions omnis; scilicet Europaeo, qui satis, uti par sit, versatus fuerit, suaque fecerit, quae Cicero, quae Caesar, quae Vergilius, quae Horatius, Titus Livius, Ovidius, Sallustius tradiderunt, tantam esse moralē amplitudinem, tantam esse sapientiam ac disciplinam, quanta ad colloquia, ad consuetudinem cum reliquis ex universo humano genere sufficere videatur. Ubi principes quotquot sunt auctores ubique terrarum suo more loquuti sunt, prout ipsos decebat, ubi qui hosce sequuntur vestigiis horum inhaerent, eo

usi dicendi et scribendi modo, more, stylo, forma, quam « classicam » vulgo nuncupamur, mirabile dictu!, quidquid proprium ac singulare cuique genti est, quidquid quasi vestimentum peculiare est, defluit, decidit, nec quid restat quod universo humano generi non habeatur commune.

Heic autem, Iacobe, quae tua est humanitas, *Vocis Urbis* exemplum ante omnia profers, de quibus gratias iteramus maximas; at pro eximio illo opere tuo, quo indefessus quod bonum faustumque futurum latinitati sit toto Marte tueris, te numquam satis nos laudare possumus. Tu enim humano inservis generi, omnium bono atque utilitati inservis dum ad unitatem pristinam genus ipsum curas reducere, quod Roma congregavit olim humanitate, bonis artibus, iuribus, cultu; aemulationes, invidiae diviserunt.

Sitque interim inter sapientes saltem sermonis unitas, sit sonus idem verborum, quibus separatae Oceanis Alpibusque et solitudinibus gentes, se tamen ex una familia esse cognoscant. Assurget mutua caritas, e fraterna sermocinatione exardescet, cognoscent populi se quidquid habent, quod homine dignum sit, ex hac Europa, ex hoc Latio, ex hac Roma suscepisse, nam et Americanae Australes ac Boreales civitates sermone indicant suo unde sint ortae, ne quid de coloniis dicam per Australiam, per Asiam, per Africam, late diffusis.

Quod si ea aliquando efficiantur quae londinense diarium *the Tablet*, de re pulchre loquens proponebat ut oecumenicus quasi conventus congregaretur ad uniformem pronunciationem diversas inter gentes, romanæ instar pronunciationis latinae, assequendam, siquid nostra profutura videantur, circa rationem rei consequendae, quae in *Voce Urbis* superioribus annis edidimus, precor te qui tanta polles auctoritate, ut ea revokes, ferasque in medium, ut, undequaque faciliora methodo cogentes, id unum faciant, quod optimum et facillimum existimabunt, nec quisquam locum nobis usurpet in iis quae primi suscepimus, tentavimus, modumque obtinendi subiectimus lectoribus, idque potissimum illa serie litterarum et lucubrationum, quas cum Sordet, cum Macra, cum Doswald et cum plurimis Europae orbisque viris eruditissimis, tecum denique, Pallade bona, triennio ferme agitavimus. Ut enim sua cuique stet laus, hoc iustitiae est; quid si benevolentiam et in hoc flagitemus? Iustitiae officium benignitatis accedet, quod pulcherrimum tibi et aliis fore speramus. Vale.

DE LITTERIS ATQUE ARTIBUS
CHRISTIANO MORE EXERCENDIS.

Q^{UAE} dixi, lectores, anno hoc ipso in commen-
tarii nostri numero VII, de spe qua erigimur
renovandarum artium liberalium in Christo, ea
volunt plebi tradi documenta, quo ipsa sciat
quidnam inter pulehri opera bonum atque utile
tribuat civitati, quid plausu excipiendum, quid
areendum censorie. Iamvero multi nutant, ple-
rique incerti haerent animo, quid maxime lieeat
nova hac spe sibi augurari, quid ars haec nova,
quam a Christo vocare non dubitamus, requirat,
quid denique illi sit congruum, quid necessa-
rium, quid intimum. Hisce stantibus fit, ut inepta
artifices manu et ipsi dubitent quo operam suam
convertant, utrum, si quod mente conceperint
atque calamo aut marmore expresserint in bo-
num opus verterint, an vanum forte et super-
vacaneum quidquam effecerint.

Iuvat igitur memorare aperte, planeque affirma-
re longe aliud esse artibus liberalibus exercendis,
aliud religioni diffundendae, aut divulgandae
vacare. Multi enim ignorant, quo plenior sensu
de Christiana civitate loqui possimus, hanc immo-
exiguo templorum ambitu quasi vivere arbit-
rantur: cumque sacra aut supplicationes ritusque
sacerorum se posueris, cetera omnia mentis aut
effectus opera, profana esse omnino existi-
mant, eum, ut Sancti viri assueverunt, omnis
labor in Dei gloriam haud fuerit susceptus.

Atqui res longe aliter sese habet, ita ut
quidquid sit liberae atque honestae vitae pro-
prium, quidquid ad provehendos mores con-
ferat opem, christiana civitatis moribus non
indignum, sed proprium, sed necessarium ar-
guatur. Si enim quod pulchrum est spectantes
erigi nos animo experimur, christianum aliquid
in pulchra specie reconditum splendescit; si
quid doctrinae vacantes novum veritatis pra-
eceptum aut vestigium corripuerimus, fulget ex
veritatis luce Aeterni Verbi lumen, dum Ve-
ritas prima Ipse est; si iusto atque casto amore
capti nova vita vivendae vis additur, si novus
vigor sustinendi laborum onera accedit certaque
beatitudinis mortalibus hora conceditur, chri-
stiana pulchritudo ea quoque ex dilectione sea-
tet, etsi Sanctorum gesta non celebret.

Cum enim datam hominibus pulchrarum rerum
edendarum facultatem labore assiduo atque stu-
dio provehimus, tunc Creatori, qui has vires nobis
in incrementum generis intulit, debitum iuris
solvimus, neque suo muneri vir deest christia-
nus, qui ad eas amplificandas, vel roborandas
operam conferat. Iamvero iis qui in communia-
tate hominum vivunt, etsi tempus dare oporteat
sacris religionis munieribus explendis, necesse
est item communem vivant vitam. Non itaque
peccant artifices, si mundi res pingant, si ca-
ritatem recinant: quinimmo cum cogitatas le-
tasque potenter res veraci stilo expresserint,
si eae neque impiae sint neque dishonestae, civile
opus facient, itidemque christianum.

Neque pariter in artibus liberalibus cui parti
civili quisque artifex studeat est attenden-
dum: artifex enim is est vir, qui late am-
plexetur humana omnia fata, qui bonas spes
erigat, dolores leniat, mores optimis exemplis
emendet, qui bonum omne laudet vituperetque

malum, non uni aut alteri factioni addictus,
sed omnes vires libenter excipiens, qui ad-
laborare tanto facinori valuerit. Qui pravas
impurasque lectiones atque tabulas fastidiunt,
qui paganorum diis irrident, qui novam avent
civitati illucescere diem caritatis atque pacis,
omnes simul manus conferant: sunt enim om-
nes Christiani qui Christi praecepta sequuntur,
atque eius exempla diligunt. Hoc ritu artes
liberales concordes animos faciunt: contra pu-
blicarum rerum eura passim dividit: haec
movetur in dies, mutatur, convertitur; illae,
una cum summa pulchritudine, qua gignuntur,
aeternae manent.

I. ANTONELLI.

LUX IN TENEBRIS

COETVM · HIERONYMIANVM
AVSPICE · LEONE · XIII · P · M
XXV · PONTIFICATVS · ANNO · LABENTE
INTER · ITALICAE · LINGVAE · POPVLOS
EVANGELIORVM · CODICIBVS · VVLGANDIS
FAVSTE · FELICITER · CONSTITVTVM
DEVVS · BENIGNE · SOSPITET · ATQVE · FORTVNET
VT · QVOTQVOT · CHRISTIANO · CENSENTVR · NOMINE
GENVINO · CHRISTI · SENSY · IMBVTI
ET · CLYPEO · FIDEI · ROBORATI
HOSTILES · VNDEQVAQVE · INGRVENTES · INCVRSVS
PROPVLSENT · PROFILIENT · VNIVERSOS

Romulae stirpis genus auspicatum.
Te, Numa, ut patrem colit, et severam
Moris ad normam populum Quirini
Fingere doctum.
Iura descripsit celebrata terris
Magnus Actaeis animus Solonis;
Fortis acceptos retulit triumphos
Sparta Lyceuro.
Quid canit Visnum India? quid remotum
Littus eoum monitis superbit
Quae dedit Confucius? immerentes
Tollere honore.
Desinant gentes: radios ut inter
Texit obscuras nebulae poloque
Palluit Phoebus, tenuata languet
Lucis imago.
Fulsit ast tandem aethere sempiterni
De sinu Patris iubar affuturum:
Fit caro Verbum, prius irrepta
Verba locutum;
Verba damnatae soboli salutis
Pignus aeternae, sacra quippe dio
Corde manarunt, superisque donis
Ammis inundans.
Horrida infestis repribus, vagisque
Quae feris olim patuit cubile.
Ecce fert vernos nova terra laeto
Gramine flores.
Cernitis puros scopulo effluentes
Quo sedet Pastor latice Supremus? (1)
Claribus dexter Petrus, inde Paullus
Ense tremendus

(1) Prae oculis hic habeas, rogo, candide lector, quae in
perpetuus christianorum templis, pictura vel, ut plurimum,
masivo effingebantur, qualia in summa fronte basilicæ S. Pauli
extra muros, miro nunc opere restituta, videre licet.

Adstat, intactas reserare lymphas
Gentibus iussi; pariterque sacri
Fronte sublimi proceres senatus,
Agmina Christi

Tingere experti genitalis undae
Fonte inexhausto: Solimae hinc verenda
Arx et hinc clavis memoranda septem
Roma renidet.

Hic oves circum scatebras perennis
Stant aquae, obtutu cupidaeque in uno
Ore deposeunt sitiente duleis
Pabula vitae.

Vena vitalis laticis per orbem
Spargitur late; bibit unde saerus
Parthus atque Indus, bibit effera
Ultima Thule.
Praescius quondam prope Chobar annem (1)
Quattuor mira specie figuræ
Viderat Vates, rapiente nimbo
Nubis et ignis.

Bos, leo, praeceps aquilæ volatus,
Vultus ex Adae genitis, remixto
Fulgure electri, rapidis secabant
Aëra pennis.

Una vox cunctis: — Super astra Sanctus,
Sanctus aeternis celebretur annis:
Sitque lux Christus bona semper orbi
Nuncia pacis!

ALFONSUS M. CERASOLI S. I.

DE MULIERUM ERUDITIONE
APUD ROMANOS.

P^LURES, ne dicam omnes, plerumque mirari so-
lemus quod fatum inexplicable sit non modo
rebus humanis, sed vel ipsis dicendi modis,
proverbiosis atque sententiis. Quum enim ius fas-
que rebus praecesse debeant, videamus interdum
erescere iniusta, augeri iniuria res publicas,
ditari latrocino privatas; et quum veritas et
rectum bonumque tantummodo debeant sermone
multitudinis et opinione pererebrescere singu-
lorum, facillime abiiciuntur sine rumore, sine
fletu; et falsa, nocentia, obliqua veritatis et
rectitudinis et bonitatis obtinent locum. Anne
et hoc unum? Eadem in artibus optimis, eadem
in litteris recurrit labes; nam ab aequo ping-
gendi ac dolandi genere ad ambitiosa quaedam
proceditur, quibus vitium est a distorsione cor-
porum, ab excessu coloris, ab incredibili qua-
dam summa rerum vel in simulaero uno, vel
una in tabula coacervatarum.

Atqui haec illo tempore praestantissima cen-
sebantur!... Quis nescit XIII a Christo sae-
culo illum e scriptoribus optimum iudicatum,
qui candidiore stylo, qui simplicioribus verbis
uteretur? Et vides XVI saeculo illos praestare
ceteris, illos communis plausu ad sidera usque
et ultra elevari, qui abstrusas, qui contradic-
entes, qui ab hominum ritu modoque remotas
metaphoras, immo sententias protulissent: habes
enim sudantes flammas ad liquefacienda met-
talla, quibus regi statuae conflarentur; habes
orbem terrarum tormentis bellieis ad instar
pilae intorquendae commissum; habes eae-
stem eueurbitam praedicatam lunam; habes

(1) Visio Ezechieli prophetae, quam Ecclesia de quatuor
evangeliorum scriptoribus passim interpretatur.

atramentum s-
bratum; habe-
decent poti-
tius, quam eru-
Res igitur in-
causam, unde
terea rectum
et mendacium
tentius, eo ma-

Optime fact-
occasione arre-
cum, atque in
suo deiectam.

morem hic ego
matronas, imm-
rantiae nota i-
humanioris cu-
haud aliter a-
specie ageretu-
nobis mulieres,

Et primum
haberi potest,
probari causam.

Fortes c-
Est in i-
Virtus

Pro-

Quae itaque a-
num fere deci-
augebant rerr-
aetas et condi-
sunt si Brutos
Curiatiorum, I-
genuerunt, si
publicae, tot c-
rabiliter sedan
conceitam, me-
cientes in pug-
rabiliter iura
iurisprudentia
tes! Cultus erg-
rentur consortio
quibuscum iung-
ex his nulla d-
culum sine ull-

Atqui virtute
datur, illa est
monis integrita-
cum romana i-
recte facere a-
rabat mater, ed-
avorum, quae
ritum sermocin-
semel evesti, a-
Romani sed ex-

Prima igitur
adolescentiae
spectabat, nec
vocabula, sed
in re Cicero (1)
non solum vide-
ea, quae nemo
easibus, et tem-
conservemus, u-
pans, aut praef-
et spiritus, et v-
addit: « Tuus
lectat..., hanc
ore: quae quid-

(1) De oratore,

atramentum sole candidius et fulgentius celebratum; habes tot denique insana, quae fatuus decerent potius homines, et amentium voces potius, quam eruditorum elucubrationes viderentur. Res igitur in promptu est et prae manibus; causam, unde ista orientur, nescimus, qua interea rectum iudicium rerum omne subvertitur, et mendacium, quo gravius et grandius et patens, eo magis candidae veritati antefertur.

Optime facturus autem ille putandus est, qui, occasione arrepta, debitum veritati reddat locum, atque in honorem revocet pristinum solio suo deiectam. Cui quidem sententiae gerens morem hic ego scripsi adversus eos, qui romanis matronas, immo et adolescentulas, turpis ignorantiae nota inurunt, easque rudes omnino et humanioris cultus prorsus exspectes dicitant, haud aliter ac si de pecudum vilissimarum specie ageretur, quasi non eadem, qua aequales nobis mulieres, indole, tunc et ingenio uterentur.

Et primum dico, quod commune omnibus haberi potest, scilicet ab effectibus virtutem probari causarum, nam

*Fortes creantur fortibus, et bonis
Est in iuvenis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellum feroce
Progenerant aquilae columbam.*

Quae itaque ab ortu matres educabant ad annum fere decimum liberos, excolebant moribus, augebant rerum cognitione multipli, prout aetas et conditio ferebant, quantae dicendae sunt si Brutos, si Menenios, si Horatii, victoris Curiatiorum, patrem optime pro filio dicentem genuerunt, si tot dedere dueas quot filios reipublicae, tot consules, dictatores, tribunos mirabiliter sedantes alloquio multitudinem populi concitatam, mirabiliter incendentes verbo et cientes in pugnam et victoriam exercitus, mirabiliter iura constituentes eximia, et summa iurisprudentia Romanum imperium administrantes! Cultus ergo in his erat, quo dignae habentur consortio et domo clarissimorum virorum, quibuscum iungendae erant coniugio, quibusque ex his nulla displicuit; nam ad VI usque saeculum sine ullo divortio Romana res crevit.

Atqui virtutes inter ceteras, quae pulchra laudatur, illa est qua romanae matres Latini sermonis integritatem et gratiam servarent una cum romana illa maiestate coniunctam, qua et recte facere a maiorum exemplis, quae narrabat mater, ediscerent liberi coram imaginibus avorum, quae servabantur in atrio, et patriae ritum sermocinationis acciperent, ne ad honores semel evecti, alloquuturi cives suos, hisce non Romani sed exteri viderentur.

Prima igitur eruditio ac disciplina Romanae adolescentulae illa erat, quae latinam linguam spectabat, nec modo linguam, id est voces et vocabula, sed etiam pronuntiandi modum. Qua in re Cicero (1) ubi dixit: « Ut Latine loquamur non solum videndum est ut verba efferaamus ea, quae nemo iure reprehendat, et ea sic et casibus, et temporibus, et genere, et numero conservemus, ut nequid perturbatum, ac discrepans, aut praeposterum sit, sed etiam lingua, et spiritus, et vocis sonus sit ipse moderandus », addit: « Tuus me sonus et suavitas ista delectat..., hanc dieo suavitatem, quae exit ex ore; quae quidem, ut apud Graecos, Atticorum,

sie in Latino sermone, huius est Urbis maxime propria.... Evidem (prosequitur Crassus) cum audio socrum mean Laeliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem (1) conservant, quod multorum sermonum exspectes ea tenent semper, quae prima didicerunt), sed eam sic audio ut Plautum mihi, aut Naevium videar audire. Sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis, aut imitationis afferre videatur; ex quo sic locutum esse eius patrem iudico, sic maiores; non aspere, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse, et aequabiliter, et leniter ».

Habemus hie igitur aliquid, quo, utriusque Scipionis tempore, — ea enim vixit Laelius aetate, — Romanae adolescentulae imbuebantur; domi quidem, accitis doetricibus; matribus, amitis aviisque exercebantibus praecepto, provocantibus exemplo. Sed nunc ex egregio pariter auctore audiamus quibus disciplinis insuper augentur: « Erat Sempronius, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. Haec mulier genere atque forma, praeterea viro atque liberis satis fortunata fuit. Litteris graecis et latinis edocta, psallere, saltare elegantius, quam necesse est probae » (2). Nota hie lector necessarium esse probis puellis feminisque optimo genere natis latinis graecasque callere litteras, psallere, saltare. Sequitur idem scriptor: « Ingenium eius hand absurdum; posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto, vel molli, vel procaci; prorsus multae facetae, multusque lepos inerat ».

Nihil ergo deerat iis, quod nostras ornat mulieres; nam addere quae propria mulieribus sunt, scilicet « colo, calathisque Minervae feminineas ex unguiculis assuevis manus » credo supervacaneum et ferme inutile. Haec autem Sempronius Ciceronis ipsius occupabat aetatem.

Aetatem vero summi viri sequuta est Hortensia, Hortensii oratoris filia, quam non modo iis excultam, quae necessaria ad romanae puellae eruditionem ducebantur, iuxta Sallustium, sed etiam iura et oratoris propria callentem tradit Valerius Maximus in suis moralium exemplorum libris (3): « Quae, cum ordo matronarum gravi tributo a triumviris esset oneratus, nec quisquam virorum patrocinium eis accommodare auderet, causam feminarum apud triumviro et constanter et feliciter egit; representata nam patris facundia impetravit, ut maior pars imperatae pecuniae his remitteretur. Revixit cum muliebri stirpe Quintus Hortensius, verbisque filiae adspiravit, cuius si virilis sexus posteri vim sequi voluissent, Hortensianae eloquentiae tanta haereditas unius feminae actione absissa non esset ». Haec ad verbum placuit referre, ut Hortensio Ciceronis aemulo glorioso esset honor. De reliquis apud Romanos iurisprudentia insignibus mulieribus satis esto nomina innuere, quae Valerius idem eodem capite notat, nempe Amesiam et Afraniam. Quid vero de Lautronia apud Iuvenalem dicente de se et romanis matribus:

Numquid non agimus causas? Civilia iura
Novimus, et multo strepitu fora nostra (4) movemus?

(1) Alibi: "latinitatem".

(2) SALLUSTIUS, *De coniuratione Catilinæ*.

(3) Lib. VIII, cap. III.

(4) Alibi: "rostra".

Audiemusne Plinium Corelliae Hispulae sua scribentem familiari epistola laudes? Et quidem hasce scribit Hispulae socii sui sorori, quae Corelliam educaverat: « Non dubito maximo tibi gaudio fore quum cognoveris dignam patre, dignam te, dignam avo (Corelliam) evadere. Sumnum est acumen, summa frugalitas; amat me, quod castitatis indicium est. Accedit his studium litterarum, quod ex mei caritate concepit. Meos libellos habet, lectitat, ediscit etiam. Qua illa sollicitudine quum videor acturus!; quanto, quum egi, gaudio adficitur!... Eadem, si quando recito, discreta velo, sedet, laudesque nostras avidissimis auribus excipit. Versus quidem meos cantat, formatque cithara, non artifice aliquo docente, sed amore, qui magister est optimus » (1). — An audiemus Sidonium Apollinarem de Lucano poeta referentem, Polliam eius uxorem certatim cum ipso septem primos *Pharsaliae* libros composuisse, carmina sibi usurpante meliora Lucano? — Anne Falloniam Aniciam Probam poetriam praetermittemus, quae ita singulas Vergilii voces mente possidebat, ut, si loqueretur, si scriberet, semper Vergilianis hemistychiis uteretur, quod perspicuum est in illo poemate, quod de Christo compositus, musivis veluti lapidulis, Vergilianis versibus, modo dimidiatis, modo integris, mirabiliter texelatum? (2). — Et quanta Veturia eloquentia erat, quae filium Coriolanum ab incopto diruendae Urbis una dimovere potuit brevi usa colloquio?... Semper eredidi sententias matronae huius restitisse aeternas in traditione populi, in privatis archiviis, in annalibus sacerdotum; impositas hasce Livio credidi recordatione communis, non imposuisse eas Veturia Titi Livii artem.

Quanti denique vel antiquitus Romana mulier haberetur, inde patet quod vel rege Romulo leges latae sint ad honorandas romanis mulieribus, eoque processum sit, ut cives romani omnes, senatoribus non exceptis, dexteram obvianti Romanae cedentes, viam dare deberent; insuper ut fas non esset satelliti capere hominem romanum eadem rheda cum uxore vectum. Plura huiusmodi omitto, quae in vita Romuli refert Plutarchus. Atqui ubi honor, et causa honoris aut habenda, aut suspicanda est. Num turpes honorantur asellae? Credamus igitur Tullio scribenti: « Romili aetatem venisse scimus inveteratis iam in Italia litteris et disciplinis », et rideamus de iis, qui Romanos, Romanasque illas priseas, rudes rerum, ignaras, barbaras sibi fingunt, aliisque suadere conantur, credo ut suis maioribus blandiantur.

Anacephaleosim, Iuvenale praeeunte, conficiam, qua veluti summam habemus institutionum aliarum, quibus Romanae adolescentulae exercebantur. Poeta hic enim consilium iuveni praebens, qui de uxore eligenda et ducenda cogitabat, haec monet :

Non habeat mulier, tecum quae iuncta recumbet,
Dicendi genus, aut cursum sermone rotato
Torqueat entymema, nec historias sciat omnes.

Hinc ergo probatur quibus erudirentur passim disciplinis Romanae; scilicet dicendi genere, id est arte oratoria; dialecticae praeceptis, id est philosophiae doctrinis; historia denique

(1) C. PLIN. CAECIL. SECUNDI, *Epist.*, lib. IV, 19.

(2) Cfr. *Vox Urbis*, an. IV, n. XVII.

omni, scilicet tum romani populi, tum gentium exterarum. Adde his quae recensuimus, nempe poeticam, iurisprudentiam, musicam; adde et his medicinam, de qua olim in hoc ipso commentario scriptum est (1); adde patriae linguae disciplinam, et graecae, et utriusque gentis litteras adde. Nonne satis habebis de Romanarum eruditione seminarum?

G. P.



HYACINTHUS VERDAGUER.

POETAM Iberorum, qui vernaculam Catalanae linguam ad summos Parnassi vertices extulit, qui glorias, gaudia, dolores populi sui gentisque historiam versibus eximiis enarravit, qui poemata usque heroica magna satis atque excelsa cecinit, maximum quidem virum atque illustrem artificem, non seus atque demissum, pium, indefessum altaris ministrum, mors summis pariter atque infimis acerba praeripuit!

Natalia eius obscura prorsus; quippe humili genere natus primum agros coleret. Heie tamen poeta factus est; heie arecanam naturae voem sensit, quam deinde ipsi tam suaviter penitusque erat exprimenda; hinc in summos auctores, quos indefinitis verbis memorari passim audiebat, vehemens studium, unde eo tractus est ut pedes eruentatos usque retulerit cursu in agris recens demessis contendens ad sponzionem vicensciam, quae, nummorum quinque praemio, facultatem daret Homericam *Odysseam* sibi comparandi.

Mirum itaque non est si fructus tam insoliti afflatus ipsa e prima Hyacinthi iuventa apparuerunt; ii tamen latuerunt donec is Barcinoniam venit, in urbem illam sua gentis caput, quam impensisimo semper studio dilexit, cuius gloriam, historiam, amoenitatem, sinum celebravit versibus aeternis. Habeantur tunc, qui more Graeco solent ibi quotannis antiquitus celebrari, floreales ludi, quos inter certamini quoque poetico locus est, ut Catalauniae linguae fata provehantur. Adulescens certamini accessit carmine, quod verbum insolitum, novum, e caelo quasi demissum insonuit, ut indices, in primis Mistral ille poeta tunc temporis sua gentis maximus, uno animo magnoque plausu laurea dignari non dubitarint. Quid eum ignotum hunc Verdaguerum timidum, ruden, adspectu vestibusque agrestem cognoverunt? Mistral narrant visu et ipsum percussum facere non potuisse quin adulescentem rogaret esetne agricola an vates; cui ille promptus versibus exemplo respondit utrumque se esse coniunctim, atque ad poesim tamquam agricolam, ad agrorum cultum tamquam poetam, geminum opus conferre.

Tunc itaque in litterarum cursum, poeta iam, est immissus, quarum in curriculo tam eito gressu properavit, ut vix secundum supra vigesimum annum agens, iueundae, quam dieunt, artis (*gai-saber*) magister sit in aula a centumviris dieta coronatus. Ut erat autem animo altissimo praeditus, praeripi ad excelsa sentiebat, ita ut ad divina sese totum converterit, atque tirocinium sacrum inierit, ex quo,

(1) Cfr. an. V. n. IV.

humanae atque divinae scientiae studiis expletis, sacerdotio auctus discessit.

Quo ignito animo ad Musas ferebatur, eodem ad sacra ministeria accessit, indefatigato opere adlaborans, ut proximorum suorum animum corporusque invaret. Nimiis tamen laboribus fractus, brevi in morbum incidit, unde, nisi vir nobilissimus sollicitus ei subvenisset, pessimo forte exitu exhaustus obiisset. Hic, Moeenas quasi alter, Antonius Lopez marchio de Comillas fuit, coetui illi praefectus ad naves, quae ex Ibericis litoribus ad Americanas oras itinera explerent; euius studiosis invitationibus Hyacinthus cedens, inter sacerdotes venit, qui nautis et peregrinis, in iis quae sunt spiritus, operam conferunt. Dum vero valetudinem reficit, dum munere pro viribus fungitur, novo Oceani late immensi spectaculo poeta altius commovetur, menteque concepit describitque illud Atlantidae terrae exitium, ex quo fama scriptoris haud peritura umquam manebit. Eximum enim opus epica carmina lyricis contexta mirabil modo exhibet, ut in choro illo celebratissimo



Hyacinthus Verdaguer.

ab Aegeis insulis nuncupato, quem iure Horatii stilo exaratum dixerunt.

Canigó poema deinde secutum est, Catalauniensium memoriis dicatum: tertiumque illud a Saneti Ioannis sonnio nuncupatum, quo finitur Joannes, dum in pectus Iesu reclinat caput, miram secundum quietem eas vidisse vices Ecclesiae, quae ad ultimas usque aetates essent oriture.

Inter haec autem, lyrice Hyacinthi scripta plurima edita sunt; neque numerus officit quidem poetico afflatui, dicendi genere lectissimo. Dico immo in singulis Verdaguerii carminibus aliquid inveniri, quod non solum cogitatione et forma delectet, sed mira suavitate animum reficiat atque ad cælestia erigit. Equis *Calvariae flores* legens sanctorum Theresiae et Ioannis a Cruce spiritum renovatum non sentit? Quisnam humani animi certamina et luctationes ab Dei voluntati obtemperatione vineendas melius expressit? Offensioni remissionem, veniam, gratiam dandam quis placidius versibus suasit? Nee *Edylia mystica*, franciscalia praesertim, praeteream, quorum Carmen illud « Canticum solis » referens cum primum cognovi, anceps, candide fateor, diutius haesi, utrum Asinatem an Catalauniensem præferrem; tantam

illius vim hie in suum sermonem transtulisse mihi videbatur.

Ceterum Franciseum illum, ob ingenii certe similitudinem, semper noster habuit dilectissimum, vitamque eius assidua recoluit memoria, quam imitaretur. Quapropter ruris in solitudine sibi ab amico quodam ad hospitium oblata (pauper enim Verdaguerius perpetuo vivit) eum mortem adesse novit, iussit sese franciscalium vestibus indui chordaque praecingi. Funebria vero eius humilitatem splendore superarunt, prout virum summum, poetam atque sacerdotem virtutibus et carminum fulgore maximum decebat. Nunc super eius tumulo fama sedet, gloriaeque purissimae lumen numquam restinguendum collustrat.....

FORFEX.

CAPRULANA INSULA.

AD septentrionalem oram Adriatici maris, media inter Liquetiae et Lemenis fluminum ostia, Caprulana insula sita est, quae a Portu Romatino septem et viginti milia, a Venetiis sexaginta milia passuum abest. Apud veteres, qui de ea scripsere, diversis nominibus passim appellatur: *Insula Caprulana vel Capritana, Caprensis, Capriæ, Caprulae etc.; Aegida et Petronia;* quorum nominum primum, quod a sylva olim capris frequenti originem dueit, opportune proprieque in usum venit: etenim Gallieoli, Bernardini De Rubeis testimonio male fretus, *Aegidae* nomen, quo universis terrarum descriptoribus constat *Capodistria* oppidum designari, Caprulanæ insulae falso tribuit. Contra ambiguitatem appellatione *Petronia*, quam quidam repetitam putant a Petronio Didio Severo, Didii Iuliani, quem Pertinax imperiocepit, patre, cuius ex maioribus M. Aemilius consul fuerat, qui viam Aemiliam stravit. Haec autem via, una e tribus eiusdem nominis, haud procul sylvam Caprulanam legens, in Orientem versus, Arimino Aquileiam usque patebat.

Quinam primi Caprulanam insulam incoluerint, utrum indigenae an alienarum gentium hospitiis aut adventibus mixti, nondum in comperto est.

Unum tantum scimus, romanam classem in Portu Romatino, cui nunc *Faleonera* nomen est, iam ante annum post Ch. n. CCXXXVIII sedisse; unde patet usque a remotissima aetate Caprulanæ insulae incolarum frequentiam suppetisse: idque epigrammata quaedam in agro caprulano reperta atque a Philiasio, eruditissimo viro, illustrata, quibus mentio fit de Lycovia gente ae de liburnis et classiariis militibus haud dubie haec superi maris litora contra barbarorum incursus tuentibus, luculentissime evineunt. Ideo Bottanius pro certo affirmat Caprulanam insulam, antequam terrestres Veneti in eam sese recipieren, longe satis cognitam fuisse. At si, quod attinet ad pervetustam insulae originem, ut fit temporum licentia, res caprulanæ hue usque tenebris occultatae et circumfusae latent, nil tamen posthae negotii supererit inquirenti de incolarum eius progressibus et incrementis, qui aetatis quam medium vocant exordio, eo processerint ut de finitimis

gentibus, risque, op lana gens rum reipu plurimum vineulo ad tiam perpe vertamur.

In initio sa niae popul ad ruinam ruptis Alp flumine tor rapinarum c totque effe restres Ven caprulenses fugiunt (C hospites, tu sibus benign tam turbido suam in pat tas data est. adventante, postquam fru iterum Aq Concordiense sulam effugit Ita Caprulan incolis celeb cum ex fini aliquod non aquisivisset amicitiae et reipublicae n permansit, in sima natura tita est, qui patria profu etra spem, set.

Communis eisque studi ses cives ad publicam ag more romano, rei publicae a Venetorum in magis vires i dem lingua i rentur, facturum incolae ineundi consi euinsque gen eset. Caprul runt ex inlust Fabrieia orta quae supra d insulam habi

Præcipua a temporis, ex titatione agron nauticarum se darum navium numera exst Theodorici reg administrum, netarum tribu

Duale autem Caprulana, ut

nonem transtulisse
n, ob ingenii certe
r habuit dilectissi-
a recoluit memo-
opter ruris in so-
am ad hospitium
erius perpetuo vi-
t, iussit sese fran-
rdaque praecincti.
em splendore su-
um, poetam atque
num fulgore maxi-
ius tumulo fama
lumen numquam

FORFEX.

NSULA.

Adriatici maris,
Lemenis fluminum
est, quae a Portu
milia, a Venetis
st. Apud veteres,
nominibus passim
a vel Capritana,
te etc.; Aegida et
primum, quod a
originem dicit,
um venit: etenim
Rubeis testimonio
quo universis ter-
Capodistria oppi-
sulae falso tribuit.
ne Petronia, quam
Petronio Dido Se-
tinax imperio ex-
bus M. Aemilius
iam stravit. Haec
em nominis, haud
gens, in Orientem
que patebat.

insulam incole-
narum gentium
, nondum in com-

anam classem in
onera nomen est,
CXXXVIII con-
motissima aetate
frequentiam sup-
uaedam in agro
miliario, eruditis-
mentio fit de Li-
classariis mili-
aris litora contra
, luculentissime
erto affirmat Ca-
errestres Veneti
satis cognitam
pervetustam in-
m licentia, res
s. occultatae et
posthac negotii
in eius progres-
s quam medium
ut de finitimis

gentibus, praecipua animi comitate, domi fo-
risque, optime meriti sint. Tunc enim capru-
lana gens, opibus valida, ad gloriam Veneto-
rum reipublicae, marium imperia portendentem,
plurimum contulit, eui iam a primo ortu sororio
vinculo adstricta intemeratam fidem et amici-
tiam perpetuo servavit. Sed ad propositum re-
vertamur.

Initio saeculi V Gothi, Unni aliique Germaniae
populi, sine teatis ac sedibus passim vagi,
ad ruinam et vastitatem Italiae, superatis prae-
ruptis Alpium iugis, ceu « rapidus montano
flumine torren » ruere cooperunt. Quamobrem,
rapinarum et caedis metu in dies percerebrente,
totque efferatorum hominum bellis pressi, ter-
restres Veneti cum Iulia Concordiae incolis in
caprulenses laeunas, Aquileienses Gradum con-
fugunt (CCCCVII). Hisce in sedibus, novi
hospites, tum a Caprulensis, tum a Gradens-
ibus benigne excepti, commorati sunt, quadam
tam turbido discuso temporis nubilo, cuique
suam in patriam redeundi facul-
tas data est. Verum serius, Attila
adventante, idest anno CCCLII, postquam frustra sustentatum est,
iterum Aquileienses Gradum,
Concordienses in Caprulanam insulam effugium petere coacti sunt.
Ita Caprulana insula propediem incolis celebris opumque dives,
cum ex finitimarum calamitate aliquod nomen decusque sibi
acquisivisset, causas et fontes
amicitiae et fidei, qua Venetorum
reipublicae non umquam in officio
permansit, in ipsa eaque felicissima
naturae loci condicione sortita est, quippe quae ex se tot
patria profugorum incolumenti,
citra spem, peropportune cavis-
set.

Communis inde libertatis pa-
cisque studio incensi, Caprulen-
ses cives ad constituendam rem
publicam aggressi sunt, atque,
more romano, ex Patribus consules creati: quae
rei publicae administrandae ratio in omnibus
Venetorum insulis obtinuit. Quin etiam, quo
magis vires in unum coalescerent, cumque ea-
dem lingua iisdemque institutis ac legibus ute-
rentur, factum est ut omnes venetarum insularum
incolae foederatam inter se societatem
ineundi consilia caperent, cui proprium unius-
cuiusque gentis concilium per Tribunos praes-
asset. Caprulenses itaque tribunum sibi eleger-
unt ex industri Copperum familia, quam gente
Fabricia ortam, ob adversa temporum adiuncta,
quae supra diximus, Concordia in Caprulanam
insulam habitatum concessisse ferunt.

Praecipua annua Caprulensis alimenta, tum
temporis, ex venatione, pescatione, salis nego-
tiatione agrorumque cultu prodibant. De rerum
nauticarum scientia et usu atque de aedifican-
darum navium arte, saeculorum VI et VII mon-
umenta exstant: constat enim Cassiodorum,
Theodorici regis socium omniumque consiliorum
administrum, onerarias naves ab insularum ve-
netarum tribunis maritimis, belli causa, petuisse.

Ducali autem imperio Venetiis constituto, in
Caprulana, ut in ceteris insulis, tribuno Gastal-

dio, sive Ducis procurator, suffectus est. Sin-
gulis annis, Venetorum Dux, iurisdictionis causa,
Caprulensem et Gradensem insulas invisebat,
eumque principes cives, certo et definito navium
numero (*barche piatte, gondole et poete* quas
Itali dicimus) comitari tenebantur. Gastaldioni
ducali, progrediente tempore, *Praetor* (Italice
Podestà) publicae rei gerendae successit; quae
nova imperii ratio usque ad Venetae reipublicae
excidium immutata stetit (MDCCXCVII).

Civilis rei publicae procuratio inter optimatum
et popularium hominum imperium medium
quiddam tenuit: saepe vero, factionum certame-
nate, idest nobilium (vulgo *Maggior Arrengó*)
et plebeiorum (*Minor Arrengó*), aliquid de le-
gibus derogatum est. Die XVI a. kal. Iunias,
 anni MDCCXCVII, qua die Gallorum copiae in
Caprulanam insulam ingressae sunt, Napoleon
e cognomine Magnus venetae dominationi finem
fecit.

Nunc, quoniam Caprulanae insulae originem,

I. Aeg. Falcetta, sive *Falconetta* (MDXLII),
Cingulis, in Marca Anconitana, natus, qui a
Pio IV ad Bertinoriensem Ecclesiam, in ro-
mana provincie, translatus est. Sacrosancto Con-
cilio Tridentino interfuit; de eo Pallavicinus
miris praedictat laudibus.

II. Ludovicus de Grigis, Min. Observ. ref.
(MDCI). Hie, vitae sanctitate ac probitate elau-
rus, in plerisque pessimi exempli corrigendis
irrevocabilem animi constantiam ostendit.

III. Franciscus e Marchionibus Trevisan-
Suarez Ecclesiae caprulanae sapientissime praef-
fuit ab anno MDCCXXXVIII ad annum
MDCCCLXIX, quo anno, cum forte Venetiis ver-
saretur, ibidem vitam obiit. Illinc in Caprula-
nam insulam translatus, sepultus est in sacra
aedieula, quae B. Virginis ab Angelo inscri-
bitur, cui denou ex integro aedificandae, sua
et populi stipe, sedulam operam dederat.

IV. Stephanus Dominicus e Comitibus Sce-
riman, Ord. Praed. (MDCCCLXXVI), quem po-
stea Clodiensis ecclesia episco-
pum exceptit, altaria S. Spiritus
et S. Antonii in cathedrali ec-
clesia iamdudum collabentia suis
sumptibus restituit.

V. Joseph Maria Peruzzi
(MDCCXCV), Venetiis ortus, qui
Clodiae, anno MDCCCVII, Sce-
rimanio e vivis sublato successit:
huius incliti praesulii discessum
caprulenses cives aegerrime tule-
runt, quod praestanti liberalitate
in pauperes omnium animos sibi
devinxisset.

Caprulana dioecesis, Toreella-
nae, Cenetensis et Concordiensis
dioeceseon finibus continebatur.
Episcopi quotiescumque cathe-
dralem ecclesiam inviserant, idest
ter in anno, diebus festis Pascha-
tis, Assumptionis B. M. Virginis
et Dominicæ Nativitatis, unum
mensem, ad potiora negotia ex-
plenda, morabantur: reliquam

anni partem Venetiis, aut alibi, vitam degebant.
Quae consuetudo, sane improbanda, cum catho-
licae ecclesiae legibus de sede stabili et certa
aperte repugnet, causa fuit eur, antistitum se-
gnitia, mali mores non raro uberrime succre-
verint. Id probrum vero non omnibus capru-
lensis episcopis iniciendum esse fatebimur,
quod ex eis nonnulli, inter quos eminent Suarez,
sibi commissam plebem, continuo, optima di-
sciplina instituerint.

(Ad proximum numerum).

MARCUS BELLI.

DE “SYMBOLISMO”,⁽¹⁾

I.

Symbolismi plurimae sunt species, cum per
loca, res et personas late porrigitur; at, felici-
tate mirabili, res rerumque adiuncta sub una
tantum imagine saepe, dum coacervat, ample-
ctitur.

(1) Cfr. an. V, n. XII.



Caprulanae insulae prospectus.

Prima quidem eius divisio est in profanum et sacrum; seu religionem qui spectat, seu qui civitates, urbes, familias considerat. Nec aliter, si prudentes haberi voluerimus, et gentium et regnum et familiarum insignia, (stemmata vulgo dicimus), indicabimus a Lupa nutrice, quae Urbem, ad Noctuam, quae Athenas, a Dracone, qui Sinenses, ad Bicipitem Aquilam, quae Nordica Imperia significat. Anne et ultra? Eequid, praeter symbolum, sunt celeberrimae illae bestiae, olim visae Danieli, quibus praecepit regna gentibus dominatura ostendebantur? Assyro-Chaldaeam, Persam, Graecam, Romanam dominationem intelligis. Nec aliud aequipes in illo enormi simulacro aureo, argenteo, aeneo, ferreo lateritoque simul, quod Nabuehodonosor regi in somnis apparuit. Quid si Apocalypтика portenta rexitavero? Satis ergo de haec, ut ita dicam, symbolismi provincia, ne per illam, immo illas, vagemur, quae ad singulas familias pertinent. Equis enim ignorat Columnensem dynastarum gentem columnam designatam. Ursiniam urso, Caesariniam aquila? Sie ergo de ceteris; atque ideo compertum est symbolis certis regna, nationes, imperia, gentesque declarari, quamvis exhibita imagine a re longe diversa contineantur.

At symbolismus, qui saera, Deos, religionesque et perspectat et prospicit, latior quaqua-versus extenditur, et varietate insignior est, quin etiam profano pulehrioribus imaginibus praestat. Aliquantulum immutatur interdum, minus loci causa quam temporis, interdum vero magis ex peculiari gentium singularum doctrina,

13]

FABULAE SELECTAE FONTANII
A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE
PASSIM RETRACTATAE A FRANCISCO XAV. REUSS.

LIV. — LUPUS, MATER ET PUE.

*Alterius lupus ille lupi mihi fata vicesque
In mentem revocat, fata cruenta magis;
Nam misero detracta fuit cum vellere vita.
Casum flebilis dic, mea Musa, modis,
Longius a pago sua tecta colonus habebat;
Huc sperata trahit praedo famesque lupum.
Viderat is nuper rastis erumpere septis
Quidquid, pransurus, possit amare lupus.
Hic oris, anser, anas (densissima turba) latebat;
Lactens hic ritulus, lacteus agnus item.
Frustra sed praedo rigitat; sua septa relinquit
Nemo, iamque lupus tristis abire parat.
Ecce puer plorat, cui mater: — « Desine fere;
Ni taceas, tradam te, male puce, lupo».«
Raptor ut haec audit, pueri de munere grates
Laetus agit superis, limen aditque domus.
At mater, sobolem mulcens: — « Ne fleroris, — inquit, —
Puce! lupum dabimus, si venit ille, neci».
— « Quid! lupus exclamat — quid inaudio? Tunc recantas
Dicta prius, mulier? Siccine ludor ego?
At scelus ulciscar; si forte nuces puer olim
Lecturus, silvas riserit ille meas...»
Dum loquitur, famuli tectis prodire; molossus,
Excubitor chortis, vertere terga retat.
In discurrentem volat undique missile telum,
Mox et humi stratum plurimo furca petit:
— « Tu — clamant — nostras quid agebas ante fenestras?»
Verba refert matris voce tremente lupus.
— « Ah! male dispeream — respondet territa mater —;
Mene tibi sobolem tradere carnifici?
Prolem num peperi, teneros illius ut artus
Fauicibus obiicerem, bellua dira, tuis?»*

quani ex natura rerum, quas ille symbolus designabat. Sic seimus apud nonnullos veteres Numen fuisse designatum in circulo, ea potissimum de causa quod circulus, quaqua-versus attingatur, figura semper eadem est, nullis patens lateribus, nullis cohibita angulis, fine et principio pariter carens; ideoque perfecta, et praebens utriusque aeternitatis, antecedentis nempe et subsequentis, egregiam imaginem. Adveniente Christiana religione, quae Trinitatem revelat in Unitate divina, triangulus aequaliterus primo in locum circuli sufficit est, qui in unitate simplicissimae figurae unitatem *Essentiae*, in tribus lateribus, mutuo aequalibus ac tamen distinctis, aequales ac distinctas Personas Trinitatis ostenderet. Placuit triangulum circulo inscribere, placuit et triangulo circulum; propterea quod ibi commode leges: « In Numinis Trinitas »: et « In Trinitate unum Numen ». Quid si in medio circulo apponatur oculus? Indicabit circumspicientem omnia Deum. Quid si in medio triangulo? Indicabit videntem omnia Trinitatem.

Atque hie illud maximum notatum volo. Pisces, qui, uti postea videbimus, Christi Servatoris nostri symbolus est egregia significatio ac sapientissima, in medio circuli collatur, quia in Verbo est quaedam plenitudo Divina, dilectio nempe, deliciumque Patris aeterni effundens Spiritum suum super omnem carnem, Deus, Verbum, Lumen, consubstantiale Patri, homo factum, quod et Christus; at pi-seem in medio triangulo nunquam invenies, quia non Trinitas, sed Verbum incarnatum est,

et ex Verbo et homine, non ex Trinitate et homine, unus est Christus. Hinc autem considerandum volumus quanta religione inscribendi sint symboli, nec pictoribus, neque sculptoribus concedenda licentia, — licentia, inquam, non libertas, non facultas, — prout in arbitrium venerit, effingendi in parietibus, in metallis, in marmore. Unde et illud Niceni II: « Non est imaginum structura pictorum inventio, sed Ecclesiae Catholicae constans et probata traditio ».

Haec prorsus ad exemplum diximus; nondum enim de singulis fari lieet, quum de universibus nunc dicere praestet.

Orientalibus gentibus quotidiano ferme usui fuit symbolismus; eum iis in reliquum demigravit orbem, quem ipsae populo impleverunt, cultu imbuierunt, doctrinis et sacris excollerunt, execrarentur. Hinc Indis fere prae manibus, a Phoenicebus non alienus, quandam apud Aegyptios et Arabes culmen attigit. Quinimo vel temporibus nostris eadem iisdem gentibus adhuc mens est a veteri more non abhorrens, et allegoriis, parabolis, metaphoris, — in hisce enim symbolismus est totus, — mirifice reficiuntur, recreantur audientes; et optimus ille narrator ac doctor est, qui narrationem suam, qui doctrinam sermocinatione illa symbolica magis et lueulentius illustret, atque decoret. Quapropter minime mirandum reor, si Hebraeorum litterae disciplinaeque symbolismo penitus imbutae sint, et symbolismi fons egregius in Sacris litteris, a Genesi, inquam, ad Apocalypsim, habeatur. Una cum religione Christiana, cui fundamentum ingens in sacris libris Hebraeorum est et in Novi

Tum pater: — « O nimium gens — inquit — roboris expers!
Prodam, quid valeat dextra vel ista tremens ». Subrident omnes, haec a sene verba iocando

Dicta rati, quamquam non erat ille iocus.
Seiungit calamos, nulloque labore refringit:

— « En — ait — arcum robur amicitiae.

Sic vos, o nati, concordem ducite vitam,

Iugi vos almus foedere nectat amor ».

Nec voces iterare senex cessavit easdem,

Aegrum dum morbus labra morere sinet.

Morti iam propior: — « Soboles mihi cara, valete —

Subdidit — huc propero, quo praeiere patres.

Vivere fraternalis animis iurate; supremum

Hoc pater a robis expedit officium ».

Deflentes iurant. Moriturus at ultima natis

Oscula dat, dextras prensat amans, et obit.

Natos multa manet vis auri, praedia multa;

Res sed multa simul discutienda venit.

Vicinus pugnax lites intendit iniquas,

Occupat et quaedam creditor arva vafer.

Principio, fraterna dolos concordia vincit;

Ast amor, ut rarus, sic fuit ille brevis.

Idem quos sanguis iunxit, privata repente

Utilitas coepit dissociare viros.

Ambitio, livor, vox consultoris avari

Certatum fratrum depopulantur opes.

Optima quisque sibi dum vindicat omnia soli,

Fraudes mille parant, iurgia mille morent.

Altornos iudeus mulctat persaepe; reditque

Vicinus pugnax, creditor atque vafer;

Ille quod in numeros error subrepserit; iste,

Debita quod desit formula iudicio.

Discordant fratres; vult hic componere lites,

Abnuit ille; trium sic periere bona.

Tela recordantur sero, que rumpere nullus

Iuncta gigas poterat; dissociata, senex.

(Ad proximum numerum).

Testamenti adventat, exsertim saecula nolenta fuerint in annulis, rentur, denique possent palae nec regio, immo vix a

Huic igitur natus, non tam afferat, sed quae semper connubio.

Duplici auctio[n]e; hinc s[ic!] notae narrati[on]e imagine ostendunt, praesertim si raret oculis; monstraret. Dividitur; nam disponit, ut reddatur, atque alter, qui unius solitarii his modo dicit ei innuens aut martyrii, aut premium quiete.

Circa primam in allegoria et bala Biblica ad futura pro cumbis historias in aedibus Chciens nihil intendunt. Iacentem hominem somnos, handi praestoi Cam eat, tera, porrecto i Sem et Iaphet viderent, convaducentes, triplex vero magis iraversi facie, men in symbolo vinea Domini humano generis, pacis auctoritate, magnum et aeternum, ecoruscante medius, pacis auctoritate, magnum et aeternum, memor se rogo.

(1) Alibi (S. B.)

(2) Cfr. S. BER

LV. — DICTUM SOCRATIS.

*Cum sibi tecta Sophus, Xanthippe cui fuit uxor,
Struxisset, quievit carpere coepit opus.
Frons alii; alii, ne celent vera, videntur
Interiora domus Socrate digna parum.
Omnibus arcta nimis sunt visa cubicula, quorum
Vix pateat trinis ambitus hospitibus:
— « O utinam — sic vir sapiens — habeam tot amicos,
Quot domus haec veros parra tenere queat! »
Talibus hospitibus merito satis ille superque
Hac et in aedicula censuit esse loci.
Obruius in vicis te quisque salutat amicum;
Ne tamen huic fidas stultus amicitiae!
Nil venit ad nostras hoc nomine saepius aures;
Re tamen, in toto rarius orbe nihil.*

LVI. — SENEX EIUSQUE FILII.

*Vis, nisi consociata manet, dilabitur omnis;
Hoc docet Aesopus, quem sequor ipse ducem.
Grandaeurus genitor, quo Parca vocabat, iturus:
— « O nati — natos namque monere parat —
Hunc tentate — inquit — telorum frangere fassem;
Unde sit haec telis vis, erit inde palam ».
Tela capit primus, validisque obtorquet in ulnis:
— « Fortior haec rumpat! » denique fessus ait.
Agreditur mox alter opus, nisi sed inani;
Tertius, ausus idem, tempus et ipse terit.
Nerris obsistunt fraternalis tela revincta,
Nulla vel e minimis hastula dissiluit.*

non ex Trinitate et . Hinc autem consi religione inscribendi s, neque sculptoribus ntia, inquam, non li in arbitrium venerit, metallis, in marmore. « Non est imaginum o, sed Ecclesiae Cata traditio ». *um diximus; nondum t, quum de universa*

otidiano ferme usui reliquum demigravit npleverunt, cultu im excoluerunt, exercue manibus, a Phoenicam apud Aegyptios Quinimo vel tempore gentibus adhuc mens norrens, et allegoriis, in hisce enim symbolis reficiuntur, recreant ille narrator ac doctor a, qui doctrinam ser magis et luculentius a propter minime mi cum litterae discipli us imbutae sint, et in Sacris litteris, a ipsim, habeatur. Una cui fundatum in eorum est et in Novi

inquit - roboris expers! vel ista tremens». verba iocando erat ille iocu. ore refringit: r amictiae. cete vitam, et amor». it easdem, moxere sinit. mihi cara, valete praeire patres. supremum ficiun». ultima natis amans, et obit. praedia multa; enda venit. iniquas, ar area vafer. ordia vincit; ille brevis. vata repente os. acari tur opes. icat omnia soli, a mille movent. pe; reditque que vafer; bresperit; iste, udicio. omponere lites, re bona. impere nullus iata, senex.

Testamenti volumine, symbolismus in Italianam adventat, exercetque manus et mentes illis praesertim saeculis, quae persecutionibus sanguinolenta fuere, partim ad ornandas martyrum criptas in catacumbis, partim in tesseris, quarum ope inter se Christiani noscerentur, partim in annulis, in catellis, in singulis, quae deferrentur, denique in omnibus, quae domi haberi possent palam et coram; nec fortasse locus est, nec regio, quae Romam hoc in genere superet, immo vix aequet.

Huic igitur symbolismo primas dabimus manus, non tamen enumeratione, quae taedium afferat, sed imaginum significacione et origine, quae semper delectant felici scientiae et artis connubio.

Duplici autem, qui tunc erant, usi sunt ratione: hinc symbolismus et duplex; alter qui notae narrationis, qui notae historiae episodium imagine ostenderet, allegoria quasi servata, praesertim si utriusque Testamenti aliquid narraret oculis; alter, qui signa quaedam sparsa monstraret. Hie alter autem rursus bifariam dividitur; nam est qui signa, qui notas ita disponit, ut in illis et ex illis integer sensus reddatur, atque omnino legatur et intelligatur; alter, qui uno, duobus, ad summum quinque solitariis hisce signis utitur, et aliquid tantummodo dicit expers narrationis historicae, unice innuens aut martyris cruciatus per instrumenta martyrii, aut fidem et spem hominis, qui supremum quievit.

Circa primum symboli modum, qui totus in allegoria est, nam a narratione vel a parabola Biblica ad praesentia saepe et interdum ad futura procurrerit, exemplum dabo. In catacumbis historiam Noe habemus; haberi et posset in aedibus Christianorum, cum idolatra respiens nihil intelligeret. Quid enim iste videbat? Iacentem hominem, obrutum vino, perflantem somnos, haud honesta nuditate patentem. Hinc praesto Cam eachinnans, irridens, promissa dextera, porrecto indice ostendens; illinc pudibundi Sem et Iaphet, humeris in patrem ebrium, ne viderent, conversis, pallium, quo cooperiretur, adducentes, tristes quidem fraterno scelere, tristes vero magis irrisione patris, in quem gradientur aversi facie, ne quid miseranda nuditas illius vel forte oculis delibasse viderentur. Altiora tamen in symbolo Christianus sentiebat. Quippe in vinea Domini Sabaoth fuit alter Noe, novum humano generi saeculum daturus, novumque foedus, pacis auspice Iride eximia super hoc mare magnum et aestuosum necessario sublevata (1), coruscante meritis, coruscante et exemplis. Atqui Noe hic alter caritate ebrios illa, qua filios hominum perpetua dilexit, obrutus cruciatibus, satiatus opprobriis, nudus obdormivit in Cruce (2). Tunc invereundus ille Cam, qui et Hebraeus populus, « medius inter Aegyptum et Assyrios, habitator umbilici terrae », vituperatus Christum uti vituperarat, nunciat (Semitis Asiae, Iapeticis Europae) nuditatem et opprobrium Christi, et scandalum crucis, et mortis turpem somnum, quo malefactorem et seductorem populorum ipse mulctaverat. At novus hic Noe a somno surgens, « quasi potens crapulatus a vino », memor se rogasse pro praesentibus ubi dixit:

(1) Alibi (S. BERNARDUS): « sublimata ».
(2) Cfr. S. BERNARDINUM, *De passione Domini*.

« Pater, ignosce illis, nesciunt enim quid faciunt », maledictionem horribilem, quam petiere dicentes: « Sanguis eius super nos et super filios nostros », filii eorum reliquit habendam, non revocavit, non delevit. Itaque, instar Chanaan filii Cam, maledictionem induit, « dispersi, palabundi, et caeli solique sui extores... sedebuntque dies multos sine templo, sine rege, sine altari, sine sacerdotio »; videntes non vident, intelligentes non intelligunt, nomen suum quasi ignominiam servitutis circumferentes.

An et hoc unum? Altius perspic. Est alia quoque civitas, latina gens, in qua et vinea Domini Sabaoth, in qua et ille habitat, qui vocatur in patriarchatu Noe, qui Pontifex secundum ordinem Melchisedech, pro Christo in terris est sacerdos aeternus, mysticae navis, quam a Christo per Petrum suscepit, gubernator supremus. Eequid erit si novus Cam, secundo genitus, post synagogam scilicet, et ante vocationem gentium barbararum, regia nudatum elamyde, vituperatum convicis indicet, ac nuntius et Semiticis Asiae et Iapeticis Americae fiet nuditatis et opprobrii paterni? Eequid erit si novus ille Sem, si novus hic Iaphet ex America et Asia pallio proprio nuditatem Patris operient, et silentio tristi moestoque vituperia novi Cam huius rependerint venerabundi, et opitulantes? Numquid, uti filius Cam, latinae gentes hisce deseruent? Heu Occidentales populi!, audite verba Domini comminantis: « Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius » (1). « Gens enim et regnum, quod non servierit (Domine) tibi, peribit, et gentes solitudine vastabuntur » (2).

En quid symbolus iste allegoria sua tradit.

Numquid supervacaneae pictura historiae tibi videtur? O lector, « praedicta lege, impleta cerne, implenda collige »....

SENIOR.

DE INFANTIBUS ET PUERULIS

APUD INDOS AMERICAE.

In foederatis Americae borealis civitatibus Ibrum edidit Ella M. Roff, Anaderko-Oklahoma nata, in quo singularia quaedam et notata digna tradit de pueris et infantibus aborigenam Americanorum. Hi igitur, qui adhuc reliqui sunt e populis olim regionem incolentibus, et ante vires et arma advenarum undeque immigrantium recendentibus in Alpes, quae Serupei Montes nuncupantur, mores ritusque servant suos, quos antiquitus a maioribus acceperunt.

Cunae itaque conficiuntur ex pelle bubali, quam sudes opportune in quadro sustinent, constituentes veluti absidem, aut aediculam, quae et moveri et circumferri facile possit. Similitudinem num, et imaginem cupis? Habes in sandaliis, quibus Norvegiani super altis nivibus impune gradientes utuntur. Matribus ea cura est, ut omni diligentia et industria cunas ornent, queis pignora cara credunt viscerum suorum. Quare et vitrei globuli, et plumae, et flores, et versicolores multicolores taeniae adhuc bentur, ut oculis inhabitantium delectatio aliqua sit; praecipue enim coloribus attrahuntur infantis.

(1) MATT., C. XXI.
(2) ISAIAS., C. LX, v. 12.

tuli. Atque his, praeter breviora momenta temporis ad munditiem necessaria, unica domus, mansio, morsa est illa aedicula, loculamentum illud integro ferme anno infantiae primae.

Secundis rebus, cunae illae imponunt exigui equi dorso, quem, proximum diu puellulo, assuetum huic fecerunt ut cognosceret, ut amaret et, — mira animalis huic indeo! — gnarus impositi, deferendique ponderis delicatuli, ita se gressu, successu, citiore gradu, cursu denique temperat, ut nec abiiciat, nec noceat, nec a nucleo tribus facientis iter, nec a parentum tentorio, si castra posita fuerint, longius aberret. Quae omnia equulus ille mirifice praestat, comesque, sociusque, praesidium subsidiumque in periculis, quin etiam et custos erit praescens, adstans, inseparatus et inseparabilis pueri, adolescentis, donec sufficiant vires; hae ubi deficient, coram hero et amico libenter morietur.

Ita porro cunis agitatur infans, ita assuescit acri liberrimo, nisi forte, cum sit mansio, vel mora apud nemus, aut apud arborem, genetrix ramo alligaverit aediculam, ut ramo dependeat. Tunc venti agitabunt cunas, aves cantu lallabunt, suadentes somnos, quos ille sub sole, sub pluvia aeque placidus arripit, carpit. Unum superest ne vultur immanis *condor*, ne serpens vectis, *boa-constrictor*, aut *pito-maculosus*, ne tigris Americana *jaguar* auferant, vorent, quod prae ceteris facillimum, si mater depositerit vel in rupe altiori, vel edito in tumulo, vel si custos negligens fuerit.

Nascenti parvulo nullus religionis ritus circa nomen imponendum; pater, quod placuerit, imponet, probent vel renuant mater, avi, amitiae, avunculi; solet autem plerumque nomen accipere a casu, quo sit percusus eo die, vel antea, vel a quavis conditione et circumstantia rerum, in quam forte inciderit, quod quidem, data in dole sermonis, quo utuntur Indi, haud quidem difficile; coagmentant enim plura vocabula in unum, et inde nomen conficiunt certa praeditum peculiarique significacione, uti si hebreice diceres *Captholim* scilicet « intermontium »; *Almo*, nempe « Aqua tacens » aut « abdita »; *Belzebul*, hoc est « potens » seu « deus musca »; *Altar*, scilicet « Dei petra »; sic latine: pauciloquium, anteferre, damnigerulus, cupressifer; sic graece Λεύκηππος, φίλοσοφος, λευκόθρον, etc.

Itaque apud eos nomina viri vel mulieris habentur, quae idem sonant ac: sagitta — volans, nubes — bona, aquila-ingens, flumen-inundans. Quidni? Exstat apud eos homo, cui nomen « Dux Miles »; quum enim hic imperator stationes et castra civitatis Anaderkensis inviseret, devius aberans, in Indorum tabernaculum incidit forte, bono tamen alite, quia invenit a quibus petret quoniam in loco esset, quaeam tenenda via, ut rediret ad suos. Rogatus de nomine, nam hospitio amicissimo receptus, ut mos Indis est, se Miles, Anglicum ducem, esse dixit. Tunc: « Opportune et belle — materfamilias (nam pater aberat), conclamat — filium meum, heri natum, Miles-Ducem appellabo ». Ita nomen infantis compositum fuit.

Quum infans in itinere fuerit, si equulum illum excipias, nemo curat infantulum, nemo puellulum; ubi tentoria disposita fuerint, mater, pater, consanguinei certatim de illo curam gerunt;

osculantur, nutrient, lallant amantissime, suadentque somnos. At si somnum despexerit, si fleverit, nullo admisso solatio, tunc « hominem sapientem » antonomastice appellatum account, quid medium inter sacerdotem et medicum, verumtamen omnino neutrum. Hic graviter aspicit, circumfit, intendit in plangentem, et saepe pronuntiat infantulo minime gratum, minime iucundum, immo exosum esse nomen impositum; tunc parentes et consanguinei de mutando nomine curant. Quid si perseveraverit lacrimans et exclamans? Homini-sapienti verba et causae non desunt. Nam ubi gravior morbus compripiatur latens, vir ille sapiens, vir medicus, « homo-medicinae » maledictionibus, obtestationibus malignos avertire spiritus tentat, praecepit ut sacra verba ne momento quidem relinquantur cantanda ad aures aegrotantis, tum tympanis, crotalis, omni denique re strepitus circa eunas et rumores edantur, ut somnus a pueri simul et a daemonibus prohibeatur; qui postremi, impotes vigilandi semper, alio dormituri abibunt, et relinquent infantulum incolument, sanatum.

(*Ad proximum numerum.*)

P. ALEXIS.

ANNALES

Anglicae res — Triplex foedus innovatum — Alia pacis nuncia — Americana bella civilia.

Londinenses cives, qui regem suum Windsor ex oppido reducem tanto plausu exceperant, luctu tetrorem paucas post horas occupati sunt una cum Britannis omnibus Anglorumque colonis ob adeo ingravescensem Eduardi regis morbum, ut coronationis eius diem iam indictam solemniter differre ad magis propitium tempus oportuerit. Kitchener ducem tamen proxime appulsum ad litora patriae summo desiderio Angli exspectant, dum ferias aliquas habent, ex quo innotuit Eduardi regis morbum post medieum vulnus apte inlatum, paulatim convalescere coepisse. Itaque recensio militum qui ex coloniis advenerant haud omissa est, incensi una eademque nocte per omne regnum rogi laetitiae causa, instructum quoque infinitum paene convivium, ad quod multa millia pauperum Londinensis civitatis adsedere, singuli populo vitreo donati quod impressum gereret regnum nomen regiamque faciem.

Ceterum si rex brevi in sanitatem reductus erit, quod cum Anglis auspicamur ex animo, coronationis solennia Augusto mense fient, eoque maiore gaudio quod angorem ac trepidationem sequi solet.

Berolini triplex foedus iterum est obsignatum inter Italos, Germanos atque Austros; pauloque post nunciatum Victorium, Italorum regem, iter Petropolim primum indeque Berolinum suscepturum. Utramque rem non modo foederatae gentes laeto animo audiverunt, sed et Galli quoque et Russi, qui aemulo foedare devincuntur. Iamvero sive Germanorum summi magistratus, sive Gallorum, palam fassi sunt in comitiis nihil eiusmodi ex foedere esse pertinendum in pacis detrimentum, nihil audiendum

sociatis gentibus, quod Europae statum sit perturbaturum, sed id potius concordi ope cautum, ut firma atque immutata et diurna Europae per litora regna pacis maneant.

Vindobonae coram ipso Caesare summorum magistratum coetus est congregatus, ut de iuribus Austrorum Hungarorumque vicissim tuandis aequae leges et pactiones communi sensu ferendae proponerentur. Quod quidem quietis desiderio, omnibus regibus communi, pariter adiicit fidem.

Contra prorsus de se praebent argumenta Americani cives, qui meridiem spectant. In Venezuela enim republica, in Haitiana terra civilia bella producentur. Illie milites, qui Castro praesidis partes sequuntur, multas clades passi sunt, maximamque Coro ad oppidum, ubi Rivera dux, Ayala, alterum a praeside ducem, fudit, eiusque acies captivas fecit. Ex quibus iam fore praenunciant ut Castro praeside expulso, Matos dux ei sufficiatur, vir dives quidem opibus, ingenio, atque doctrina, cui pleraque etiam Europae gentes favent. Haiti autem in insula Nord, bellicarum rerum summus curator, in Sirmin praesidem suos milites excitavit ita ut ille fugam capessere coactus sit, atque ad patrocinium legatorum exterarum gentium confugere. O utinam illud meminerit, concordia parvas res crescere, discordia dilabi maximas!

POPLICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS

In Americanis Nordicis Civitatibus Roosevelt praesidis perfecta est postulatio de commerciis negotiis cum Cubanis civibus commutandis, quorum in utilitate peculiare ius constitendum rogatur, atque vectigalia delenda proponuntur, quibus negotia illa adhuc implicantur. Praeterea de Panamensi fovea potius quam Nicaraguensi aperienda constitutum est.

In Anglia de marina bellica re administranda disceptatio fuit, in qua Beresford, navium praefectus, multis animadversiones ad rem movit. Responderunt Campbell-Bannerman atque Forster ipse administer sua munera atque res a se gestas fusa oratione tuentes. Hicks Beach de novis vectigalibus imponendis dixit, ut paulatim Anglia pariter eiusque coloni omnes una eademque nocte per omne regnum rogi laetitiae causa, instructum quoque infinitum paene convivium, ad quod multa millia pauperum Londinensis civitatis adsedere, singuli populo vitreo donati quod impressum gereret regnum nomen regiamque faciem.

In Austria utriusque civitatis legati de bellicis expensis statutam pecuniam ratam habuerunt, probantque ballistarum atque navium instaurationem instituendam.

In Gallia Combes, qui novo administratorum coetui praestet, orationem habuit, qua gubernii rationibus a Waldeckio Rousseau praedecessore suo initis se prorsus adhaerere declaravit. Altera autem oratione ex accusationibus se defendit ipsi inlati ob durius forte legem admotam in religiosorum societates. Coram Senatoribus actum est de tempore quo cives ad vexilla manere iuberentur.

In Italia, de summis expensarum pro externis negotiis atque pro internis habitis disceptationibus, feriae indictae.

In Suetia administratorum collegium, cui Otter dynasta praerat, cum a munere sese abdicasset, Bostrom delectus est, qui novos sibi socios ad rem publicam gerendam faceret.

SCRIBA.

LIBRORUM RECENSIO

Le selve di Angelo Poliziano recate in versi italiani da LUIGI GRILLI. — Tiferni, ex off. S. Lapi M. deceejij.

Aloisii Grilli, poetae nobilissimi, recens hoc opus communi expectationi respondit, quam superare illi non lieuit. Quid enim, peritissimorum virorum iudicio, proferri poterat aut robustius, aut limatus, aut suavius iis carminibus, sive suis, sive alienis ab ipso italicice redditis, quibus hactenus italias mentes auresque detinuit?

T. Livii ab U. C. liber VII. — Recensione e note del Prof. SALVATORE ROSSI. — Ed. I. B. Paravia et S. — MDCCCCII.

Studiosis adolescentibus iure legendus proponitur Livianae historiae liber VII, in quo praeter mira quaedam, quibus juvenilis mens valde percellitur, maximi momenti res gestae narrantur, quippe ubi et scenicae artis origo, et externorum bellorum initia memorentur. Eum igitur librum explanari, illustrari opportunum est atque perutile; quod quidem multa cum laude praestitisse dicendum est el. doctor S. Rossius; nec nostro tantum, sed etiam F. Ramorini iudicio, cui opus est dedicatum.

M. Tullii Cic. de officiis libri tres, commentati da GIOVANNI DECIA. — Lib. I. — Ed. I. B. Paravia et S., MDCCCCII.

Interpretandi adnotandique veterum auctorum libros quanta sit v. el. I. Deciae facultas, quanta fidelitas, eiusdem quae latinis sermonis peritia, quae in philologia et in varia doctrina delibanda temperatio atque opportunitas, non eos certe latere credimus, qui alia veterum scripta, maxime vero C. Taciti *Agricolam*, ab ipso illustrata noverint ac perlegant. Quare vehementer optamus, ut quo fieri poterit citius, totum opus de officiis sic explanatum prodeat in lucem, prout lectoribus est ipse pollicitus.

P. ANGELINI.

AENIGMATA

I.

Lictorem consul *primum* iubet ore severo
Qui contemptorem statut punire *secundae*.
Tota viret semperque viret laetissima ramis.

II.

Femina sum; si me invertas, sum femina. *Primum*
[m] Respondere urget, per fluctus ire *secundum*

E. R. MASSEY.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus sortitus, gratis accipiet PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

Aenigmata an. V. n. X proposita his respondent:

1) Barba-rus; - 2) Lacus, Acus.

Ea rite soluta miserunt:

Aem. Crivelli, *Asisio*. — C. Tranchese S. I., *Neapol.* — Alois. Battisti, *Marauta*. — Rich. Malotta S. I., *Brodzóć*. — H. A. Strong, *Liverpoolia*. — Princ. Gordon, *Mancunio*. — Lad. Lud. Podobinski, *Cracovia*. — Iac. Tasset, *Motomio*. — Ang. Meroni, *Asso*. — Ant. Lassota, *Sutrio*. — Alois. Cappelli, *Senis*. — Ver. Cariolato, *Vicentia*. — D. Le Provost, *Brünnen*. — Ios. Cizek, *Einsiediac*. — Petr. Garrone, *Pezzana ad Vercellas*. — E. Schütt, *Sueheln*. — Fr. Prikryl, *Katzelsdorf*. — V. Hertel, *Mendhusio*. — Ios. Wabner, *Varsavia Ponitornum*. — Frid. Gillessius, *Arbò Intematio*. — Mart. Janu, *Cerventia*. — Fr. Sallarés Sch. Piar, *Sabadello*. — F. Blazevic, *Sejna*. — Nic. Dherdierichs, *Seccovo*. — P. G. Z., *Modoetia*. — Car. Stegmüller, *Sabaria*. — Ad. Huza, *Grybów*. — Ioan. Sobczyński, *Katolsz*. — C. Perazzi S. I., *Mangatore in Indis*. — Collegium Scholarum Piarum *Sztetac*. — Ad. Skrzypkowski, *Swinice*. — Iul. Sernatinger, *Dresda*. — Am. Robert, *Marienville*. — Ant. Mesek, *Teatrnik*. — Ios. Rokoszny, *Sandomiria*. — Ioan. Cantono Ceva marchio, *Vercellis*. — Alex. P. Gest, *Lambertville*. — St. Figieliski, *Rypino*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — Th. Vignas Sch. Piar., *Roma*.

Sortitus est præmium

NICOLAUS DHEDERICHIS,
ad quem missum est ALAFRIDI BARTOLI carmen in litterarum certamine per commentarium *Vox Urbis* indicto an. MCM magna laude ornatum, cuius titulus

LITTERATORUM HOMINUM
AERUMNAE ET GAUDIA

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Pacis* Phil. Cuggiani.

1

2

*Has novas
mittit socius (1)
qui suum sub
signat (6) n*


(1) Pro una
flor. — (3) Nom
(6) « Signato » v
« uti vult ipso c

Neque
tates ad

Vaticanae Basili-
cam instruit, quoties
de Beatificatione aut
Canonizatione so-
lemnne sit.

Clientes frequen-
tissimi sunt in Urbe,
in Italia et apud ex-
teras gentes.

Fama
undique manavit.



Cereas faculas ad
noctem conficit, eas-
que ad decem usque
ac duodecim horas
diurnas, Ecclesiis
ac familiis necessa-
rias, quod pars-
moniam cum salu-
britate et munditie
coniungant.

Vitreae
faculis suppeditat.

OPIFICII PISONI PROSPECTUS
ROMAE, Via Orti Alibert 13-15 (Lungara).

Res per omnem orbem exportatur nullo iubentium impendio

Ann

VARIA

Ephemerides, Diurna optima
animo et corpori.

Non ultra! conelamatum ferunt ad Gaditanum fretum, dividente Hercule pulchro Euro-
pan ab Africa nisu magno. Idem pro Actis iuris, quin et pro libris dicendum nunc est;
uipe duo Croesi Americani chartam nuper-
me perfecerunt saccharo et farinaceo glutine,
iisque cachinnis ita conditam, ut scribendis
optima et nutritioni optima, et gustui optima
iisque habeatur. Itaque cum sit in votis ex
confundatos fore ephemerides, libros et quot-
iisque huiusmodi, aliquid addendum erit Flacco
ribenti:

*Imne tulit punctum, qui miscuit utile dulci
lectorem delectando pariterque monendo.*

Iam dicemus et nutriendo.

O fortunati pueri, sua si bona norint!

Libros legent et una vorabunt! Dum eru-
untur enim delectantur una et aluntur.

Speciosos, speciosos.
Ocene nunc inter cultus, caeremonias,
et ritus?

Rustici moris erat coram oscitare, et hiante
e voces emittere inconditas, brachia proten-
tre, attollere, magno proximorum incommodo,
ixima faciei turpitudine. Amodo nihil de hoc;
m

Tempora mutantur, nos et mutamur in illis.

Medicus Lipsiensis gravibus argumentis pu-
ca per diaria ostendit nihil oscitatione sa-
torius, nihil gratius, nihil magis homini ne-
cessarium; quam si quis impedit cultus et

urbanitatis praetextu, reus erit quasi datae
mortis, aut saltem laesae salutis; nam (verba
viri fidelis refero) oscitationum series prodest
corpori magis quam medicamentum quodeum-
que confortans, «tonicum». Toto rictu, hiatu,
pectore dum oscitamus, pulmones amplificantur,
nova oxygeni vis eaque maior miscetur san-
guini; dum vero hiantes brachia protendimus,
nervi, musculi, tendines, quot sunt in pectore,
in toto corpore, actione augmentur; si ergo
actione, etiam virtute et reficitur, et corro-
boratur, et revivescit homo quantum est. Quid
plura? Praestat cuivis exercitio gymnastico,
praesertim, dico ego, cum cantu, et porrectione
brachiorum ac crurum. Haec ille. Ergo inphy-
sim et similia conelamatum est!

Pipionibus nunciis quid obsit.

Experimentis plerisque statutum est pipio-
nibus volantibus obesse nebulas, eosque a vol-
latu vel prohibere, vel in volatu coercere, re-
tardare, impedire. Summa est haec rei. Quin-
quaginta chilometrorum spatia emetuntur et
praeterunt hora, minus quadrante, una, si pur-
rus aer; si vero nebulosus, inter tres horas,
et interdum quatuor integras, vix metu vol-
latu contingunt. Undenam? Oculum, instinctum,
humiditatem num in trutinam vocabimus? Suo
tempore certe.

Enorme ovum, et nova avis.

Londini in Museo South-Kensington ossea
erates asservatur maxima eiusdam avis, quae
temporibus ante historica monumenta fortasse
vixit, et cui nomen *Aepyornis Maximus*. Huic
statura tria intra metra ae centimetra decem
procera. Hisce vero diebus venale fiet ovum,

quod in insula Madagascari, ubi et Aepyornis,
repertum est. Ovum hoc sex ova struthionis
magnitudine aequat, nempe circiter ova non-
genta gallinarum nostrarum. Reens profecto
non est, at certe antiquitate, longe, non minus
ac pondere, et volumine, ceteris ovibus antecellit.
Cortex, quo includitur, marmore durior,
facile scalpro dolabilis reputatur, praesertim
cum opinio sit altitudine lapideae materie
centimetra aquari circiter duo, plus minusve.
Comessuris prosit!

Loci.

Nudius tertius, uti mihi relatum est, e vico
Sabino eodem curru redibant nonnulli Romam,
qui illuc rusticatum iverant, et usque ad festum
solemne Sancti Patroni moram fecerant.
Inter eos quidam erat, incredulus, si lo-
quenti fides habenda, qui iocis tolerantiam
humilis Minorita et argutis vexabat; Minori-
ta vero, dicta oratione panegyrica, ad Urbem
una cum reliquis festinabat. Effusus imber
pontem cooperuerat, qua de causa necesse
fuit ad diversorum aufugere ne diluvio obrue-
rentur, vel abriperentur a flumine. In diverso-
rum vestibulo willicus erat chorda dicens asinum.
Tum incredulus Minoritam interrogat:
— Seisne, sodes, in quo Minorita sit diversus
ab asino? Hic in fronte chorda praecingitur,
Minorita in lateribus.

Pacatus huic Minorita: — Tu vero seisne in
quo incredulus ab asino differat? —

Ille argutiam hominis metuens: — Differen-
tiam, de qua dieis, ignoro. —

Tunc Minorita: — Et ego pariter nescio in
quo uteque ab alio differat! —

— Pulchre!, bene!, recte! — quotquot audi-
vere conclamarunt.

P. d. V.

Ciapponi Franciscus et Soc.

OFFICINA
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS
PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS
TEMPERANTIA IN PRETIO — DILIGENTIA IN OPERE
ROMAE — VIA SISTINA, 129 — ROMAE

LIBER (vulgo "ALBUM")

praecepua Urbis referens, pulcri-
tudine insignis atque, commen-
tarii *Vox Urbis* moderatore iubente, expresse
conflatus, apud eundem commentarii ad-
ministratorem, ROMAE, VIA ALESSANDRINA, 87,
ven. lib. 1.50.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS
ROMAE — Via Alessandrina, 87

PROSPECTUS NOVAE SUBNOTATIONIS
A KAL. IULII USQUE AD EXPLETUM ANNUM MCMII.

(Vid. in secunda operculi pagina).

FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO
Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

Sociis qui in Nordica America versantur vehe-
menter commendamus quod a Sodalibus Carmelitis
novissime institutum est ac regitur

COLLEGIUM SANCTI CYRILLI

ad liberalem eamdemque Christianam et nostrae
aetati aptam institutionem iuvenibus comparandam.

Prospectus studiorum et regularum, quae colle-
gium moderantur, petatur ab ipsius Collegii Pre-
side, 6413 Star Avenue (Woodlawn) — Chicago,
Illinois.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 X 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datus est,
venit singillatim L. 2.50

apud comm. VOX URBIS Administratorem.

SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

LE LAUDI LATINE E IL CANTICO DEL SOLE

DI

S. FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro
rei longe peritissimo, conscriptam, continentur *laudes latinae* cum inter-
pretatione italica. *Canticum Solis*, neconon illa *Speculi perfectionis* capita,
quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem proxime
ali subseuentur ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* comparandam,
Iulius Salvadori, litteris tradendis doctor egregius, maxima edidit cura.
Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administratorem venit L. 0.50, in
pauperum levamen.

PHILIPPUS VITI Eques

MARMORARIUS

ROMAE - Via Alessandrina N. 51, 52 - ROMAE

Affabre sculpti quae sunt ad simulacra, altaria,
sacella, aediculas, uti patet ex operibus erectis
aut refectis in Basilica Lateranensi, Liberiana,
Laurentiana extra muros, Transtiberina, Eudo-
xiana, etc.